

29 Contra istam conclusionem obicitur primo: Potest contingere quod parvulo moribundo adint tantum duo, quorum unus fit maurus, & alter mutus; Ergo tunc erit licitum muto abicere, & manco proferre verba, ne salus pueri periclitetur.

Respondio in tali casu mutum illum posse alligare capiti alterius vasculum aquae, quod ille submitendo caput versaret supra puerum, proferendo formam. Quod si nullus esset aspergendi modus, nisi manibus, sentiendum esset, ac si nullus foret minister legitimus, ut ex verbis D. Thomae supra relatis manifesta colligitur.

30 Obicitur secundo: In sacramento Penitentiae & Matrimonii materia adhibetur ab uno, & forma ab alio; Ergo idem poterit fieri in sacramento Baptismi.

Sed nego consequentiam & paritatem: nam sacramentum Penitentiae est institutum per modum iudicii, in quo oportet reum & iudicem distingui, & confessionem fieri a reo, absolutionem vero a iudice. Matrimonium vero se habet per modum contractus mutue traditionis & acceptationis, quod non possunt inter unam & eandem personam reperiri.

ARTICULUS III

An requiratur aliquis qui baptismum levat de sacro fonte?

31 Respondio affirmative cum S. Thoma hic artic. 7. ubi id probat primo ex perpetua Ecclesiae consuetudine, & traditione Apostolica, cuius testis est Dionysius cap. 2. de Eccles. hierarchia dicens, quod sacerdotes assumunt baptismum, tradunt enim ad educationem susceptori & dicit. Et cap. 7. sic ait: Id placuit divinis nostris auctoribus (id est Apostolis) ut tradentes puerum eidem debito in divinis periculis, & levationis sacra suscipere. Idem testantur alii SS. Patres, qui susceptores variis nominibus appellant: Justinus quæst. 56. ad Orthodoxos, vocat eos (susceptores) id est offerentes: Tertullianus De Baptismo cap. 18. sponsorem: Augustinus serm. 215. de tempore Eusebii: Hyginus Papa Can. in Caschismo de consecrat. dist. 4. Parinos, & Synodus Moguntina can. 47. Compares, jubetque illos filios suos spirituales catholice instruere.

32 Ratio etiam suffragatur, nam ut dicitur S. Doctor in eodem articulo: Spiritus regeneratio que fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali, juxta illud 1. Petri 2. Sicut modo geniti infantes, rationale & sine dolo, hoc concupiscite: Sed in generatione carnali parvulus nuper natus eget nutrice & pedagogo: Ergo similiter in spirituali regeneratione qua fit per Baptismum, baptizatus indiget suscipere, per quem in fide & vita Christiana instituitur & informetur.

33 Adnotet tamen S. Thomas in resp. ad 2. hoc non esse de necessitate sacramenti, sed ad ejus solemnitatem pertinere: sicut enim (inquit) in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater & mater; sed ad facilem partum, & educationem pueri convenientem, requiritur obsecratrix, & nutrix, & pedagogus; ita in regeneratione spirituali qua fit per Baptismum, susceptor seu paritrus non est de necessitate sacramenti: unde licet esset peccatum mortale & consuetudinem Ecclesie, non tamen quando datur in casu necessitatis sine solemnitate.

34 Si autem quæras, quinam possint esse paritri in Baptismo?

Respondet D. Thomas hic art. 8. ad 1. & in 4. dist. 42. qu. 1. art. 3. quæstionibus. 1. ad 3. quod non baptizatus non potest levare aliquem de sacro fonte cum non sit membrum Ecclesie, cuius typum gerit in Baptismo suscipiens, quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cum infidelis sit: non potest esse susceptor, quia non est baptizatus. Non debent etiam admitti heretici ad puerum susceptoris & sacro fonte, quia hæc ceremonia instituta est ab Ecclesia, ut baptizatus in fide Catholica instruitur; hereticus autem a via veritatis aberrans, non rite instruet infanrem; quare est contra Ecclesie consuetudinem, susceptorum delictum hereticum, non instructorem, sed corruptorem. Unde si commode paritrius Catholicus in terris hereticorum haberi nequeat, tenetur Parochus baptizare infanrem absque ullo paritrio, quia ceremonia Baptismi sunt omittenda, quando nequeunt debito modo & rite adhiberi. Item parentes pueri baptizandi, non possunt esse susceptores sui paritri ut dicitur cap. Peroniam, & cap. Distinctio est 3. qu. 1. & docet S. Thomas hic art. 8. ad 4. optimamque congruentiam asserit, cum enim generatio spiritualis, alia fit a carnali; alios debet habere parentes seu auctores. Denum Abbates, & Monachi, non possunt esse paritri in Baptismo, ut patet ex cap. Non licet, de consecrat. dist. 4. ubi sic dicitur: Non licet Abbatibus vel Monachis, de Baptismo suscipere filios, nec commarres habere. Et in cap. Placuit 16. qu. 1. inter alia prohibetur Monachis, ne filios de Baptismo suscipiant. Item Sanctus Gregorius Papa lib. 4. Epist. 49. prohibet sub precepto, Monachos filii simoniacos facere: Quam prohibitionem ex-

tendi ad Religiosos omnes etiam mendicantes, constat ex communi Doctorum sententia, & ex Rituali Pauli V. titulo de Paritrio, ubi dicitur: Ad hoc minus admitti non debent Monachi, vel simoniacales, vel alii cuiusvis Ordinis Regulares, a sacro segregati.

Quoad numerum vero susceptorum, varie fuerunt diversorum temporum consuetudines, nam olim unus solum admittitur ad quemlibet baptizatum suscipiendum, sic enim statutum fuerat ab Hygino Papa, ut haberetur Can. in Caschismo de consecrat. dist. 4. postea vero admitti sunt plures, ut colligitur ex cap. Quis, de cognitione spirituali, in sexto. Concilium vero Tridentinum sess. 25. de reformat. Matrimonii cap. 2. statuit ut unus tantum sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non baptizantem & baptizatum, baptizantem patrem de matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Ex quo recte colligunt aliqui, duos viros etiam solos, aut duas mulieres etiam solas, non posse esse susceptores. Alii insuper, quod si pater suscipiat proprium filium, contrahit cognationem spirituales cum propria uxore, unde non potest ab ea petere debitum, nisi contenta dispensatione. Hoc tamen negat Suarez, existimans de facto peccare quidem parentes, si proprios filios de sacro fonte suscipiant, non contrahere tamen impedimentum petendi & reddendi debitum: quia licet per jus antiquum hæc poena fuisset taxata, huic tamen juri derogatur formaliter per contrariam constitutionem Alexandri III. que habetur cap. si vir de cognitione spirituali, his verbis: Ideo nobis videtur quod si ex ignorantia, sive ex malicia id fecerint (id est propriam filium de sacro fonte susceperint) non sunt ad hoc separandi, nec alter alteri debent subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malicia, eis frans non debet patrocinari, nec delus.

DISPUTATIO III

De Suscipiendis Baptismo.

Ad quæst. 68. D. Thomae.

Cum agens & patiens sint correlativa, recto doctrina ordine, postquam D. Thomas egit de ministris Baptismi, differit de suscipiendis Baptismo, ac de ejus necessitate & obligatione, de quibus etiam in hac disputatione dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Baptismus sit omnibus ad salutem necessarius?

§. I.

Quibusnam promissi referuntur sententia.

Notandum primo, ad finem supernaturalem consequentem duobus modis solere aliquid dici necessarium, nimirum necessitate mediæ, & necessitate precepti: necessitatem necessitatem mediæ est illud sine quo finis nullo modo potest obtineri, sive culpabiliter, sive inculpabiliter committatur: quo pacto auxilium divinum potest dici necessarium necessitate mediæ ad actum amoris elicendum, quia si homo, etiam sine sua culpa illo privetur, actum illum non eliciet. Illud vero dicitur necessarium necessitate precepti, de quo extat præceptum, sine eo tamen potest finis obtineri, si nimirum inculpabiliter, & ex legitima causa committatur: hoc modo auditio Missæ dicitur necessaria tantum necessitate precepti, ad obtinendam gratiam & salutem, quia licet omittens missam culpabiliter non consequatur gratiam, illa tamen non privatur, si legitimam adesse impedimentum ad illam non audiendam.

Notandum secundo quod quando inquirimus, an baptismus sit omnibus ad salutem necessarius: hoc intelligi debet secundo privilegio, & martyrio, quia certum est, Deum posse speciali privilegio aliquem in utero matris sanctificare, & a peccato originali mundare, sine sacramento baptismi, ut constat de Jeremia, & Joanne Baptista. Patet etiam ex dictis dist. 1. art. 7. martyrium posse supplere vicem baptismi tam in parvulis, quam in adultis, & ex opere operato illos justificare. His postis

Creca propositam discutatur, lege baptismi necessitatem, in primis est antiquus error Pelagianorum, qui cum existimarent nullum esse peccatum originale, consequenter etiam assererent baptismum ad salutem obtinendam nullatenus esse necessarium, & parvulos omnes tam fidelium, quam infidelium habituros sine baptismo vitam æternam, citra quidvis privilegium. Sed hic error jampridem ab Ecclesia damnatus est fuisseque a nobis consutatus in

in Tractatu de peccatis dist. 7. art. 1. ubi peccati originalis existentiam ostendimus, & præcipua Pelagii, & Juliani argumenta eliminamus.

Deinde est alius error Calvinistarum, qui eo quod legant apud Apostolum 1. ad Cor. 7. filios fidelium vocari sanctos, docent nulli eorum imputari a Deo peccatum originale, licet illi verò contrahant, idque in gratiam parentum, & de proinde baptismum non esse illis necessarium ad salutem.

4 Ex Catholicis vero Cajetanus ad art. 2. hujus quæstionis docet, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum baptismi a parentibus aut ad alios conceptum, eis sufficienter prodesse ad salutem; præcipue cum aliquo exteriori signo. Quod ibidem sic explicat, dicens: Debet autem in tali casu pater lego Deo infanrem cum invocatione Trinitatis manare, sicut Deo offerre mortentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Item super art. 11. hujus quæstionis hæc scribit: In articulo undecimo occurrit scribendum & consequenter dicendum (sub correctione tamen) parvulus in matris utero periclitans, a posse salvari per sacramentum Baptismi, non in re, sed in voto parentum suscipiant, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis. In eandem sententiam propendere videntur Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, tom. 3. serm. de nativitate beatae Virginis, habito in Concilio Constantiensi, confiderat. 2. & Gabriel in 4. quæst. 2. artic. 3. dubio 2. & nonnullos Recensiores eam probabiliter existimare, testatur Serta hic artic. 2. Denum Joannes Carmuel in Theologia fundamentali, cap. 7. fundament. 64. num. 1289. §. 2. hæc scribit: Progrederet & inquiri, an omnes infantes non baptizati excludantur a celo: Christianorum filios nonnulli a filii infidelium distinguunt, & ducuntur ratione quæ bona solutione indiget. Sic arguunt: privilegia neminem gravant, nam gravamina privilegia non sunt, atque baptismus est privilegium; ergo neminem gravat: ergo Christiani filii qui a parente suo est Deo oblati, jure poterit baptismum, ac eo non indiget. Probatur consequentia: quia stando legi naturali, infans parentis oratione, aut obligatione ad originale liberatur, nec indiget baptismum: ergo si modo fide parentum & baptismum etiam indiget, peioris conditionis est; quam erat: ergo baptismum gravamen est, privilegium non est. Hac ratione Campanella dicitur hanc propositionem (Infantes filii Christianorum, qui moriuntur sine baptismo, in fide parentum salvantur) multis viris doctis proposuisse. At nonnulli, quorum exhibet nomina, illam temerariam, erroneam, contra Veritatem Theologorum, in re maximi momenti, esse dicunt; sed non hereticam. An ne subscripsit hæc censura etiam Lugo. Non habeo ad manum illum librum: ac puto inter alios Ingonis me subscripsisse. Hæc Carmuel, qui & argumentum insolentum relinquunt, & nulla hæc sententiam censura notat, unde illi ut probabiliter adherere videntur.

§. II.

Error Calvinii prescribitur.

5 Dico primo: Pueros a parentibus fidelibus natos, non esse sanctos ab utero materno, subindeque indigere baptismate, ut a peccato originali mundenentur.

Probatur primo conclusio ex Scriptura, ex qua constat originale peccatum impurari etiam filiis fidelium, ait enim Apostolus ad Ephes. 2. Ex omni & nos natura filii ira, sicut & ceteri: nos, inquit, Judæi, licet ex fidelibus, & Judæis, atque ex Dei populo nati, æque ac ceteri, nati ex infidelibus, eramus natura, id est ab origine, & ex naturali generatione, filii ira & damnationis æternæ: Si enim filii ira, filii vindictæ, filii iræ, filii gehennæ, inquit Divus Augustinus Tractatu 44. in Joann. Item Jacob & Esau erant filii parentum fidelium, & tamen Esau non est natus sanctus, & liber a reatu peccati originalis, ut patet ex illo ad Rom. 6. Antequam quidquam boni vel mali egissent, Jacob dilexit, Esau autem odio habuit. Similiter David natus erat de parente fideli, & tamen Psal. 50. deplorat suam immundam conceptionem, dicens: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Denique loca Pauli ad Rom. 5. in quo omnes peccaverunt, Et 2. ad Cor. 5. Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, adeo sunt universalia, ut filii Sanctorum & fidelium ab hæc lege minime eximantur: non igitur filii fidelium nascuntur sancti, quapropter D. Hieronymus Epistola 7. ad Letam. Tertullianus in Apologetico c. 17. & alii, docet Christianos non nati, sed fieri. Ergo pueri a parentibus nati indigent Baptismate, ut a peccato originali mundenentur.

6 Probatur secundo conclusio: Si filius fidelium non esset ad salutem necessarius baptismus, propositio illa generalis Christi Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. esset falsa, ut de se patet. Neque valet evasio Calvinii dicentis, nomen aque non sumi ibi proprie pro vera aqua, sed metaphorice pro Spiritu sancto mandante instar aque, sicut (inquit) quando dicitur,

Iste vos baptizabit in spiritu sancto & igne, per ignem intelligitur Spiritus sanctus, qui peccata ad instar ignis censumit, & animam mundat ac purgat. Non valet, inquam, hæc evasio: nam ut supra dist. 1. art. 2. ostentum est, hæc verba Christi ad Nicodemum, non possunt ad sensum metaphorice detorqueri, sed debent de vera & naturali aqua intelligi: ideoque merito Tridentinum sess. 8. can. 2. de Baptismo anathematizat eum qui verba illa ad metaphoram aliquam detorserit. Nec verba illa Matth. 3. Iste vos baptizabit in spiritu sancto & igne, Calvinii responsum juyant; nam cum certum sit, non dari baptismum in igne, sicut in aqua, necessitas expositionis cogit recurrere ad metaphoram in illo loco, non vero in illo quem ex Joann. 3. adduximus.

7 Dices tamen, Joann. 6. dicitur univèrsaliter, Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis, & tamen sub hac generali sententia parvulus non comprehenditur: Ergo similiter, esto locus citatus Joann. 3. sit intelligendus de baptismate aque, tamen ab illa generali sententia poterunt pueri fidelium excipi.

Sed negatur consequentia & paritas; ratio discriminis est, quia pueri sunt capaces regenerationis spiritualis, ad quam ordinatur sacramentum Baptismi, non vero nutritionis spiritualis, ad quam ordinata est Eucharistia: nutritio enim spiritualis est ad restaurationem ejus quod de spiritualibus viribus per quotidiana peccata perdidit, & que perditio cum locum non habeat in parvulis, etiam spiritualis nutritio in ipsis locum habere nequit.

8 Contra istam conclusionem obicitur primo heretici, 9 Deus Genesis 17. promittit Abraham, fide fore Deum ipsius, & seminis ejus peculiari quadam ratione, nempe per gratiam: Sed injuriam facit divinus huic promissioni, qui dicit eam non sufficere ad salutem sine baptismo: Ergo cum fideles omnes, & eorum filii, sint semen Abraham, qui est pater omnium credentium, non potest absque injuria divina promissionis ei factæ, asseri quod infantibus fidelium necessarius sit baptismus ad salutem.

Respondio promissionem illam a Deo factam Abraham, posse dupliciter explicari, vel secundum sensum litteralem, vel secundum spirituales & mysticum: si secundum litteralem explicetur, nihil tale ad propositum, quia deus non promittit Abraham secundum litteram, & semini ejus gratiam peccatorum remissionem, & vitam æternam, sed peculiarem protectionem, gubernationem, & terram felicitatem: si vero explicetur illa promissio secundum sensum mysticum, tunc quidem poterit intelligi de gratia & vita æterna, at non per carnalem generationem ex parentibus (ut existimavit Calvinus) sed per spiritualem regenerationem in Christo, que fit in baptismo, ut colligitur ex doctrina Apostoli ad Rom. 4. necnon ad Galatas 3. & 4. asserentis eos esse filios Abraham secundum promissionem, non qui filii carnis, sed qui sunt filii fidei, id est fideles, sicut Abraham: parvuli autem non incipiunt esse fideles, nisi cum baptizantur. Certè, si omnes filii fidelium nascuntur sancti, ex vi illius promissionis, vel omnes remanent fideles, vel reliqui postea deficiunt: Si aliqui deficiant: Ergo male docet Calvinus, si dem aut sanctitatem semel habitam, amitti non posse. Si vero omnes remanent fideles & sancti: Ergo neque Judæi potuerunt deficere a fide, cum sint omnes posterii Abraham, neque Ecclesia Romana, quam tamen Calvinus ait defecisse; neque filii Calvinistarum possunt deficere a fide Calvinistica, quod tamen est contra experientiam.

10 Obicitur secundo heretici: Apostolus 1. ad Corinth. 7. filios fidelium vocat sanctos: Ergo illi non indigent baptismum ad sanctificationem.

Respondio Paulum ibi loqui de filiis natis ex uno conjugio fideli, & altero infideli, qui aliquando sanctificantur, baptizati & conversi cura & opera parentis fidelis; sicut etiam conjux infidelis, non raro a fidei convertitur: eoque sensu dicitur ibi sanctificari vir infidelis per mulierem fidelem. Neque enim existimandum est, virum infidelem, manente infideli sanctificari per uxorem fidelem, cum idem Apostolus ad Hebræos 11. absolute pronuntiet, sine fide impossibile est placere Deo, & Marci ultimo dixerit: Qui non crediderit condemnabitur. Hujus ergo tanti boni spe hortatur ibi Apostolus conjuges fideles ad habitandum cum conjugibus infidelibus, pacifice cohabitare volentibus: Sanctificatus est enim (inquit) vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata mulier infidelis per virum fidelem: aliqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: vel de facto, qui jam studio & cura conjugis fidelis baptizati sunt; vel in spe non permanenti in immunditia & infidelitate, sed aliquando emergendi ex illa, ope parentis fidelis, ut interpretantur Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, & alii, quia ea de causa filios parentum fidelium ante susceptum baptismum, vocant Candidatos fidei & sanctitatis, id est destinatos ad illam a parentibus fidelibus.

§. III.

Cajetani sententia rejicitur.

11 Ideo secundo, temerarium & errori proximum est, asserere quod deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem fuisse votum baptismi a parentibus aut ab aliquo conceptum, cum aliquo signo exteriori, vel cum aliqua benedictione prois seu obligatione ipsius ad Deum, cum invocatione sanctissime Trinitatis, Est contra Cajetanum supra citatum, & ejus opinio & commentarius ejus in D. Thomam, jussa Pii V. expuncta sunt, licet adhuc in quibusdam exemplaribus vetustioribus, aut Romae non cunctis reperitur.

12 Probatur primo ex D. Ambrosio lib. 2. de Abraham cap. ultimo, ubi explicans illa verba Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. Utiq; (inquit) nullum excipit, non in infantem, non aliquo precoritur necessitate. Ac ex Augustino lib. 3. de anima cap. 9. sic dicente: Noli credere, noli docere infantes antequam baptizentur, mox preventis, porro venire posse ad originalem indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus. Et epist. 28. ubi sic habet: Quicumque dixerit in Christo vivificari posse parvulos qui sine ejus participatione, id est sine baptismate de hac vita exeunt, hic & contra Apostolorum predicationem venit, & totum condemnat Ecclesiam. Subdit ibidem: Non alia causa salvatur & curritur, nisi quia presbiter habet, alias eos vivificari non posse. Demum lib. 1. de peccatorum meritis cap. 27. de parvulis ait: Quomodo de vobis esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum; profecto si hanc non accipiunt, peribunt.

13 Dices: SS. Patres loqui de Baptismo suscepto vel in re vel in voto proprio in his qui ipsum habere possunt; quales sunt adulti, vel in voto parentum in his qui proprium votum habere nequeunt. Sed contra hanc responsionem stat aperissime S. Doctor, nam in libro de bono perseverantiae, cap. 12. postquam negavit damnationem illorum parvulorum fortuito alicui casui, vel parentum negligentia posse tribui, subdit: Quid dicam quod parvulus, aliquando antequam illi per ministerium baptismi succurrat possit, exspirat: periturus enim seminatus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen volente non datur, qui cum parvulum in vita non tenuit ut daretur. Et epist. 107. ad Vitalem clare dicit, salvos non fieri parvulos istos, non quia ipsi volunt, sed quia Deus non vult; aliquando cupientibus, seminatisque parentibus, ministrisque quoque volentibus ac paratis, baptismum Deo volente non dari, cum repente pro quo currabatur, exspirat. Idem habet Epist. 105. ad Sixtum, libro de corrept. & gratia cap. 8. libro de gratia & libero arbitrio cap. 22. Conciniq; Magistro suo Sanctus Prosper in carmine de iugratis, ubi habet hos versus:

Nec meritis, istud poteris aptare parentum.

Cum videres pullos sanctis genitoribus oros,

Nulla salvandi spes, nisi fuisse suorum.

Ex quo manifeste deducitur, votum parentum pro baptismo suorum parvulorum, non sufficere eis ad salutem. Quare D. Thomas quodlib. 6. art. 4. asserit nullquam apud Augustinum & SS. Patres reperiri, quod baptismi vicem supplet, nisi baptismus sanguinis, aut sanguinis.

14 Probatur secundo conclusio. Vel illa ceremonia configurationis crucis, cum prostratione fidei, sufficere potest ad salutem omnibus parvulis qui baptizari non possunt, vel aliquibus tantum ex illis? Non aliquibus tantum, nulla enim est assignabilis ratio discriminis. Neque omnibus; alias enim perinde erit ac ponere quantum ad effectum gratia peccati originalis remissiva, prater baptismum, aliud sacramenti genus: Ergo &c.

15 Confirmatur: Cum lex generalis sit de baptismo: Nisi quis renatus fuerit, &c. non potest asseri votum baptismi, cum aliquo signo exteriori, vel cum aliqua benedictione prois, sufficere ad parvulorum salutem, quando non adest opportunitas eos baptizandi, nisi dicatur, esse privilegium, seu exemptionem a tali jure, seu lege generali, a Christo conditis; & verbis relatis declarata: At hoc dici nequit: Ergo nec illud, Major patet, Minor probatur. Quando constat de ipsa lege, nisi constat etiam de privilegio derogante legi, nullum censetur hujusmodi privilegium: Ergo cum non constat nobis de privilegio illo Cajetani, deroganti legi generali baptismi, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligitur, nullum plane & futurum censeri debet. Unde contra hunc Auctorem merito adduci potest illud Augustini de natura & gratia cap. 8. contra Pelagium, de parvulo nato, ac mortuo in loco in quo non potuit baptizari: Misisti eum Pelagius, & speravi ei, contra sententiam Domini, regnum caelorum, sed non adjuvit eum Apostolus, dicens: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.

16 Probatur tertio: Eadem omnino ratione, qua asserit Cajetanus, defectum baptismi suppleri posse in necessitate quoad infantes ex parentibus Catholicis natos, per fidem parentum ipsis applicatam mediante signo crucis, cum

invocatione Trinitatis, eadem, inquam, ratione poterit dici, Deum per seipsum supplere etiam defectum talis ceremonie in infantibus prope innumeris qui moriuntur quotidie apud Turcas & infideles, ne scilicet omni praesidio salutis destituti, misere pereant, ut loquitur Cajetanus, & sic omnes infantes, quibus non potest applicari baptismus, salvabuntur, quod sine ipsi temeritate affirmari nequit; nam ut ait Prosper libro de vocatione Gentium cap. 8. Non est fas credere eos parvulos qui regenerationis non sunt adepti sacramentum, ad nullum pertinere beatorum consortium, cum Dominus dixerit Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Similia docet Augustinus libro de peccat. meritis cap. 23. ubi sic ait: Nulla ex arbitrio nostra salus est, prater baptismum Christi, promittitur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis enim rationibus praeservanda. Idem Fulgentius de fide ad Ferrum cap. 26. alias 27. Firmissime tenet (inquit) non solum homines rationes usentes, verum etiam parvulos, qui sine in utero matris vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sed jam de matribus nati, sine sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, de hoc saeculo transire, sempiterno igni quiescere. Quare licet lateri necesse sit, parvulos extra baptismum & martyrium, ex speciali Dei privilegio & dispensatione salvari posse, quia virtus divina nullis legibus est alligata, & sicut parvulum salvat per baptismum, ita sine baptismum eum potest salvare, de nullo tamen, extra revelationem speciale, potest sine temeritate asseri, ita fuisse salutem consecutum: illa enim assertio temeraria, quae generali Dei lege, qualis est lex de baptismo, exceptionem facit, quam Ecclesia Catholica, & Sancti ejus Doctores non fecerunt.

17 Hinc colligitur contra Gersonem supra citatum, non debere parentes orare Deum, ut infantes nondum natos si in utero matris sint mortui, salvos faciat, sed potius, quia sine baptismum non est salus, dignetur eos in vita servare, donec in lucem editi, aqua salutis abluantur: quomodo S. Augustinus serm. 37. de diversis relict oralla mulierem quandam parvulo ante baptismum defuncto, non ut salvaretur sine baptismo, sed ut ad momentum revivificeret, quo baptizari posset, quod & factum fuit.

§. IV.

Solvuntur argumenta Cajetani.

18 Objicit in primis Cajetanus: Non obstante praeepto circumcisio in lege antiqua, dum necessitas urgebat, ante octavam diem natiuitatis pueri, sufficiebat illi ad salutem fides parentum applicata per aliquod signum sensibile: Ergo similiter, immo a fortiori, modo in lege gratiae, non obstante praeepto baptismi, sufficit parvulo, qui non potest baptizari, applicatio ejusdem fidei, cum signo & invocatione sanctissime Trinitatis. Antecedens est certum, & communiter docetur a Theologis. Consequentia vero probatur. Tum quia fides non sumit virtutis & efficaciae apud veteres, quam apud nos. Tum etiam quia si in lege veteri ante octavam diem sufficiebat ad salutem parvuli remedium legis naturae, non vero in lege Evangelica, quando parvulo non potest applicari baptismus, sequitur parvulus in nova lege esse deterioris conditionis, quam in lege scripta, & in lege naturae, ac per Evangelium viam salutis esse arctatam, & difficiliorem redditam.

19 Respondeo, concessa Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Ratio discriminis est, quia cum in lege Moysi prohibuisset Deus puerum circumcidi ante octavam diem, consequens erat, si aliud remedium periclitantis ante octavam diem relinquere applicandum, scilicet sacramentum legis naturae: nunc vero quia sic baptismum instituit, ut non prohibeat ipsam applicari pueri statim ac in lucem eduntur, non est mirum, si nullum aliud remedium pro ipsi reliquerit. Ad primam probationem in contrarium dico, quod licet fides in ratione fidei non esset majoris virtutis apud veteres, quam apud nos, immo majoris efficaciae sit fides nostra, utpote explicita circa mysteria Incarnationis & Trinitatis, quam illa, quae erat tantum implicita in lege veteri, quoad illa mysteria: in ratione tamen sacramenti, fides antiquae signo sensibili expressa, habebat aliquid supra fidem nostram, nempe quod valeat ad salutem parvulo, per modum sacramenti ipsi applicata, quod tamen non habet modo.

Ad secundam probationem nego sequelam: multi enim erant tam in lege naturae quam in Moica, quibus parentes applicare non poterant remedium aliquod contra peccatum originale; & quavis facillor esset applicatio remedi legis naturae, quam legis gratiae, quia illud non erat ita determinatum, ex eo tamen non sequitur parvulus in lege Evangelica esse deterioris conditionis, quam in lege naturae; vel in lege Moica; tum quia nunc plures salvantur

vantur in lege Evangelica, toto orbem diffusa, quam tunc in fide parentum; tum etiam quia baptismum uberiorem gratiam praestat, & citius ad gloriam perducit.

Adde quod, aqua quae est materia baptismi, est valde communis, & facillor est abluere; & quaedam verba profare, quam signo sensibili adjuvare actum fidei supernaturalis, qui requirebatur ad remedium legis naturae; unde tunc non poterat a tam multis subveniri parvulis, sicut modo: quia tunc non nisi a fidelibus sacramentum pro parvulis institutum adhiberi poterat; nunc vero etiam a paganis, haereticis & infidelibus, baptismus administrari potest, ut Tractatu de infidelibus, baptismus administrari potest, ut Tractatu de infidelibus disp. 6. art. 3. ostentum est. Ex quo patet, per institutionem baptismi, viam salutis non esse arctatam, aut difficiliorem redditam, sed potius magis dilatatam, cum plures sint fideles, quibus procurantur applicationem, quam essent in lege naturae, vel in lege scripta, qui sacramentum pro parvulis tunc institutum applicarent.

20 Objicit secundo Cajetanus: Deus habet voluntatem antecedentem salvandis omnes homines, per quam omnibus dat auxilia sufficientia ad salutem; ut in Tractatu de voluntate Dei, disp. 4. art. 2. ostendimus: At hoc fallax est, si non esset aliquod remedium, quo deleteret in parvulis originale peccatum, dum baptizari non possunt; Deus enim ipsis nullum daret auxilium seu medium sufficientem ad salutem; subindeque voluntas antecedens quam habet salvandi omnes homines, ad parvulos non se extendere, nec Christus omnium parvulorum Redemptor dici posset, cum illius redemptio non excedat objective voluntatem generalem quam habet de salute omnium hominum, utpote ab illa imperata: Ergo &c.

21 Primum huic objectioni respondeo, dico hanc difficultatem militare etiam contra sententiam Cajetani: sunt enim aliqui quibus nedum baptismus, sed neque etiam aliquod aliud remedium adhiberi potest: puta qui vel in utero matris praefocantur, vel influxus causticorum naturalium, vel qui improvisa omnino morte rapiuntur statim post natiuitatem. Unde si argumentum Cajetani valeat, sequitur, Deum non habere voluntatem antecedentem de salute illorum parvulorum, nec Christum dici posse illorum Redemptorem.

22 Nec valet si quis in favorem Cajetani respondeat parentes posse & teneri adhibere parvulis, etiam in utero matris, medium aliquod sensibile, quo a peccato originali munderent, statim ubi constat de animatione factus, sicut praedictos parvulos non destitit mediis & auxiliis sufficientibus ad salutem, saltem mediate, & in suis parentibus. Non valet, inquam: Primo sepe contingit non statim percipi quando factus incipit animari, & mori priusquam constet aut constare possit de ejus animatione. Secundo, quia haec responsio est contra communem Ecclesiam fidem & praxim; illa enim solet universaliter negare sepulturam in loco sacro parvulis in utero matris suffocatis. Tertio, haec admittit responsio, unam oduobus esset necessario admitterendum, scilicet aut quod baptismus non esset per se necessarius ad gratiam conferendam, sed per accidens tantum, in casu quo remedium illud non esset prius a parentibus in utero matris legitime applicatum; aut quod tale remedium non esset per se causaturum gratiae, sed per accidens tantum, quando factus insalubriter esset mortuus, antequam baptizari posset. Primum est fidei contrarium, juxta quam baptismus per se & essentialiter est unum & sacramentum mortuorum, ac proinde per se ad primam gratiam conferendam ordinatum. Secundum vero est omnino fictitium; nulli enim habetur, Deum aut Christum ita disposuisse, immo lex contraria statuta est, nullum scilicet intraturum in regnum caelorum, nisi prius ex aqua & Spiritu sancto renatus fuerit.

23 Dices: Pueris adhuc in utero matris existentibus communicatur culpa originalis: Ergo est aliquod remedium pro eis antequam nascantur morientibus institutum, quo applicetur ipsis meritum Christi, cum id efficacius sit (ut docet Apostolus) quam demeritum Adami, quod est causa contractionis originalis peccati.

Respondeo, concessa Antecedente, negando consequentiam & paritatem: ratio discriminis est, quia licet meritum Christi sit efficacius peccato Adae, quia delet ipsum, & alia peccata, non eodem tamen modo applicatur: peccatum enim originale transmittitur per generationem carnalem, subindeque contrahitur in utero ubi fit illa generatio; meritum vero Christi applicatur per generationem spirituales, quod non fit nisi extra uterum, quia non fit nisi per sacramentum regenerationis, quod est baptismus, inapplicabilis pueris nondum in lucem editis. His praemissis

24 Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando sequelam Minoris: ut enim volentes antecedens qua Deus omnium hominum salutem desiderat, & generalis Christi redemptio, ad parvulos omnes, etiam ad illos qui in utero matris moriuntur, & ad illos quibus post natiuitatem nulla humana diligentia potest applicari baptismus, se extendat, non requiritur quod Deus ipsis de facto comul-

rit medium seu remedium, quo peccatum originale in ipsis deleri possit, sed sufficit quod universaliter pro omnibus parvulis baptismus institutus fuerit, & omnibus oblatum, & preparatum; & per meritum Christi quod sufficiens obtentus. Unde quando dicitur, quod Deus per voluntatem antecedentem qua desiderat omnium hominum salutem, dat omnibus auxilia seu media ad salutem sufficientia, distinguendum est: si ly dare accipiatur prout significat idem quod preparare seu offerre in communi, concedendum est. Si ly dare accipiatur prout est correlativum ad recipere, & prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, negandum. De quo fatis in Tractatu de praedestinatione disp. 5. art. 5.

§. V.

Quid de adultis dicendum?

19 Ideo tertio: Baptismum in re vel voto esse omnibus adultis necessarium necessitate medi ad salutem. Conclusio patet ex supra dictis; omnia enim testimonia pro praecedenti conclusione adducta, procedunt tam de adultis quam de parvulis: Ergo baptismus est etiam illis necessarius necessitate medi. Deinde ut discarret D. Thomas hic artic. 1. sine eo non potest aliquis salvari, per quod homo incorporatur Christo, sitque ipsius membrum; nullus enim potest salutem consequi, nisi per Christum, ac proinde nisi Christo incorporetur, qui sicut per unius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in justificationem, ut ait Apostolus ad Rom. 5. Sed homo per solum baptismum incorporatur Christo: Ergo sine Baptismo nullus potest salutem consequi.

20 Quod vero adultis interium sufficit baptismus in voto, probatur contra aliquos veteres, qui adeo severe exigebant baptismum ipsum, ut perire putarent omnes adultos, qui vel non baptizati, vel non obitu martyrii morerentur. In qua sententia fuit auctor libri Ecclesiastici dogmatum cap. 74. ubi ait: Catechumenum, licet in bonis operibus de sanctum, vitam habere non credimus. Idem videtur sentire Nazianzenus Orat. in sanctum lavacrum. Oppositum docet Ambrosius Orat. in obitum Theodosii, qui Catechumenus antequam baptizaretur, mortuus fuerat: Quem (inquit) regeneraveris eram, amisi, ille autem gratiam, quam speraveras, non amisi. Item D. Augustinus, postquam multum in hac questione laborasset, lib. 4. contra Donatistas cap. 22. sic respondet: Dni multumque considerans invenio, etiam sine regenerationis lavacro, ipsam fidem conversionemque cordis satis esse. Nam ille latro non pro nomine Christi fuerat crucifixus, sed pro merito facinorosi suorum; neque quia credidit passus est, sed dum patrocitur, credidit. Quantum ita valeat, etiam sine visibili sacramento, quod ait Apollonius: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, illo latrone declaratum est, sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptum religionis, sed articulus necessitatis excludit. Ex quo constat librum de Ecclesiasticis dogmatibus, non esse D. Augustini: Ita quoque respondit Divus Bernardus haec de re consultus epist. 67. Cum autem aliqui nollent acquiescere ejus sententiae, causa delata est ad Innocentium II. qui respondit, satis esse votum baptismi, quando baptismus ipse haberi non potest, ut constat cap. ad Apostolicam, de presbytero non baptizato. Ratio etiam id fundat: nam ut docent Theologi in Tractatu de justificatione, vel de poenitentia, adultus eliciens actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia (in qua includitur votum seu desiderium servandi omnia praeepta, & consequenter votum suscipiendi baptismum) statim consequitur gratiam, quia ponit ultimam dispositionem ad justificationem.

21 Verum controversia est inter Auctores, quodnam votum baptismi sit necessarium ad justificationem & salutem, quando baptismus non potest in re haberi? Pro cuius intelligentia & resolutione, sciendum est, duplex esse votum baptismi, implicitum scilicet & explicitum. Implicitum nihil aliud est, quam vel voluntas servandi totam legem Christi, vel ingrediendi Ecclesiam, vel vitam aeternam acquirendi per media a Deo vel Christo definita: quamvis enim habens talem voluntatem, nihil adierit de Baptismo, dicitur tamen habere virtualiter & implicitate propositum suscipiendi baptismum, ex eo quod baptismus est medium necessarium ex institutione Christi, ad ingrediendum Ecclesiam, & veram beatitudinem inquirendam. Votum vero explicitum, est formale propositum sive desiderium suscipiendi baptismum in particulari, unde illud terminatur ad baptismum in particulari, illud vero ad aliquid commune, in quo baptismus continetur, aut cum quo connectitur. His praemissis

22 Quidam existimant, votum explicitum baptismi, nec ad salutem, nec ad justificationem necessarium esse, sed ad utramque votum illius implicitum & virtuale sufficere. Alii vero docent, ad salutem quidem votum explicitum

etiam Baptismi requiri, non tamen ad justificationem. Sed probabilior est sententia, que asserit post legis Evangelicę promulgationem, votum explicitum Baptismi, tam ad justificationem, quam ad salutem esse necessarium. Eadem enim est ratio de voto baptisni, ac de fide Trinitatis & Incarnationis: Sed probabilior, & menti Sancti Doctoris conformior est sententia que asserit, post Christi adventum, & legis Evangelicę promulgationem fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis, esse necessariam ad justificationem & salutem necessitate medię, ut in Tractatu de fide disput. 6. artic. 5. ostensam est: Ergo & que docet votum explicitum baptisni, ad utramque necessitatem medię ad salutem esse necessarium.

§. VI.

Covellaria notata digna.

EX dictis inferes primo, baptismum esse etiam necessarium necessitate precepti divini ad salutem. Est enim regula generalis, quod omne medium per se necessarium ad salutem, si subest arbitrio nostro, est etiam necessarium necessitate precepti divini, siquidem nihil magis debuit cadere sub precepto divino, quam illud sine quo vita eterna haberi non potest, si tamen sit in arbitrio nostri facultate: etenim non satis Christus legislator providisset bono & perfectioni sue reipublicę, que est Ecclesia Christiana, si non imposuisset specialia precepta circa illa que ad finis ipsius consecutionem instituit tantquam media necessaria: Sed, ut jam ostendimus, baptismus est medium ad salutem necessarium: Ergo etiam est necessarium necessitate precepti.

Hec vero preceptum obligat omnes adultos habentes baptismi copiam, quavis sint per gratiam spiritualiter regenerati, seu per baptismum famulos justificati: Nihil enim codem enim (ut in notat Sanctus Augustinus Tract. 1. in Joann.) erat in gratia, tamen Christus dixit illi, *Xisti qui venisti fueris, &c.* Immo etiam aliqui nunc baptisficarentur in utero, nihilominus tenerentur baptizari, ut docet Sanctus Thomas hic art. 1. ad 3. his verbis: *illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emanantem a peccato originali, non tamen ex hoc ipsi consequuntur characterem quo Christo configurantur; & propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necessitas esset eis baptizari, ut per baptismum characterem, illi membris Christi conformarentur.* Et in 4. dist. 6. quest. 1. art. 1. questio. 3. ait, quod *sanctificatus in utero debet baptizari propter tres rationes. Primo, propter acquirendum characterem, qui assumitur in populo Dei, & quasi deputatur ad percipiendum divina sacramenta. Secundo, ut per baptismum perceptionem Passioni Christi etiam corporaliter conformetur: Tertio, propter bonum obedientie, quia preceptum de Baptismo omnibus datum est, & ab omnibus impleri debet, nisi articulus necessitatis sacramentum excludat.*

Dices, formam baptismi non posse de tali subiecto verificari, illa enim significat ablationem non tantum materiam, sed etiam spirituales a peccato: At puer qui esset sanctificatus in utero matris, non posset spiritualiter mundari per baptismum a peccato originali, cum per sanctificationem in utero, ab illo iam esset mundatus: Ergo illi non posset applicari baptismus.

Respondet primo, hoc argumentum nimis probare, probat enim non posse vere applicari formam baptismi adulti, qui iam ante per actum dilectionis supernaturalis, vel contritionis perfecta a peccatis mundatus fuerit.

Respondet secundo, negando primam propositionem; nam sicut hæc verba, *Ego absolvo te a peccatis tuis*, que sunt forma sacramenti Pœnitentię, nihil aliud significant, nisi ego impertior tibi gratiam remissionis peccatorum, seu que de se potens est ad solvenda peccatorum vincula, si subiectum illis invenitur ligatum. Ita pariter hæc verba, *Ego te baptizo*, que sunt forma sacramenti baptismi, nihil aliud significant essentialiter, nisi infusionem gratię sanctificantis, que de se valet ad peccatum originale & actuale delendum, si ea in subiecto inveniat. Unde sicut in Sacramento Pœnitentię predicta verba *Ego absolvo te a peccatis tuis*, verificantur, quamvis pœnitens solum peccata jam confessã & remissa, quibus proinde non ligatur, confiteatur: ita pariter in Sacramento Baptismi, hæc verba *Ego te baptizo*, vera sunt, quamvis ille qui baptizatur, per gratiam sanctificantem, a peccato originali & actuali iam mundatus sit. Addo, lavari & mundari spiritualiter posse non solum eos qui sunt infecti peccato, sed & alios ab illo mundos: possunt enim magis magisque mundari, id est per argumentum gratię sanctificantis magis removeri a statu peccati: sicut illi qui jam peccato aliquo sunt infecti, possunt aliis magis magisque infici, juxta illud Apoc. 22. *Qui in fontibus est, fontem adduc, & qui justus est, justificetur adduc, & sanctus, sanctificetur adduc.*

Inferes etiam ex dictis, Baptismum non debere differri usque ad finem vitę, vel ad longum tempus, sed post

sufficientem instructionem de rebus fidei, suscipi: Per Baptismum enim homo adscribitur militiae Christianę: est autem irrationabile ut tunc aliquis adscribatur militiae, quando esset bellum. Deinde Baptismus est institutus ad hominem in Christo regenerandum, & cum continuandum Ecclesię membrum, ut sit capax aliorum sacramentorum, fructus sacrificii, & obedientię ac subjectionis, respectu jurisdictionis Ecclesiasticę, quo sine magna ex parte frustraretur, si usque ad finem vitę, vel ad longum tempus differretur. Addit D. Thomas in 4. dist. 4. quest. 3. artic. 1. questio. a. ad a. quod *in Baptismo conferatur gratia vel benevolentia, & peccata tollantur præterita, & impediuntur futura; & ideo quomodo Baptismus in sine vitę susceptus, plura peccata præterita tolleret, eamque peccata impediret, & ad peccata bona promoveret, & ideo minus esset utilis. Præterea multis casibus subiacet humana vitę, & posse contingere, ut qui Baptismum in sine vitę accipere expectaret, morte subito præveniret, expectatioque sua frustraretur.* Unde Chrysolomus homil. 13. ad Hebręos: *Multos novos qui hoc passi sunt, qui spe baptismi multo peccabant: circa diem autem mortis desisterunt viciis.*

Dices: Precepta affirmativa non obligant, nisi tempore necessitatis: Sed preceptum de baptismo est affirmativum: Ergo non obligat nisi tempore necessitatis, subindeque usque ad finem vitę, vel saltem ad longum tempus, sine peccato differri potest. Unde D. Martinus per octo annos mansit Catechumenus, & S. Ambrosius non erat baptizatus, quando electus fuit Episcopus.

Respondet quidquid sit de aliis præceptis affirmativis, esse specialem rationem de precepto baptismi, qui baptismus est necessarius ad incandam vitam spirituales, & sine illo non possimas recipere alia sacramenta, quibus Christiana religio colitur, & ideo ne beneficio aliorum sacramentorum frustraretur, debemus quanticos convenienter & commode fieri potest, characterem baptismali insigniri. Predicti vero facti ex magna reverentia & humilitate distulerunt baptismum, quia existimabant se ad illius susceptionem non esse sufficienter dispositos, & ideo illorum exempla non sunt trahenda in consequentiam. Unde ut annotavit Baronius tomo 4. anno Christi 377. num. 14., *Ipsemet Ambrosius, factus Episcopus, in eo multo fuit ut pravam istam consuetudinem, que tunc in Occidente quam etiam in Oriente usu temporis coarctauerat, que fideles quamplurimos usque ad provectionem rem ætatem Baptismum differant, positus ut malum, germin ex agro dominico evelletet, & quod se fecit, se deluit, ab aliis ne in posterum fieret, vehementer admonuit. Præsertimque hoc ipsum apud Orientales Basilii atque Gregorius Nazianzenus, nec non Gregorius Nifinas, ut ipsorum de Baptismo editæ orationes significant.* Denum Ecclesia ad hunc abusum tolleret, prohibendo Catechumeni, si essent plene instructi & idonei, susceptionem baptismatis, ultra vigiliam Paschę aut Pentecostę differrent, ut constat ex Canone *Duo tempora*, & ex Canone *Catechismus*, de consecrat. dist. 4.

Dices: Hęc Ecclesię determinatio non potest obligare Catechumenos, illos saltem qui sunt nati ex infidelibus, quia non subdantur Ecclesię: Ergo illi non peccabunt, si ultra illud tempus ab Ecclesię prescriptum differant baptismum.

Respondet, quod quamvis Ecclesię non habeat jurisdictionem directam supra Catechumenos, nec possit eos cogere ad suscipiendum baptismum, quia tamen præceptum divinum Baptismi eos obligat, & Ecclesię habet potestatem determinandi præceptum illud, consequenter etiam & indirecte potest obligare Catechumenos ad suscipiendum baptismum tali tempore si velint Ecclesię intrare, & eos panis pœnæ ejectionis, si ejus determinationi non parent: quomodo Religio obligat Novitios, quamvis ad se non pertinet, ad proficiendum tali tempore, & tali ritu, si ipsam velint ingredi, & si non obtemperant, punit eos pœnæ expulsiõis.

ARTICULUS II.

An quando baptizatur adultus, requiratur ex parte ejus aliqua intentio suscipiendi Baptismum?

Cum parvuli non sint capaces proprię intentionis & consensus voluntatis, evidens est ad valorem baptismi eorum, nullam requiri talem intentionem, sed sufficienter voluntatem Christi & Ecclesię, que tamquam mater præbet ipsi uterum, ut spiritualiter regenerentur, cor ut possint credere, & os ut confiteantur fidem. Quare solum difficultas est de adulto: pro cujus resolutione

Advertendum est, adultum baptizandum quatuor distinctis modis in receptione baptismi se habere posse: Primo ut expresse repugnet & contradicat receptioni illius. Secundo, ut solum coacte, & metu cadente in constantem virum permittit se baptizari. Tertio, ut interpretative solum

Tomas baptizari velit, quando scilicet in vigilia existens, habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea non mutata tali intentione, dormiens baptizatur. Quarto potest adultus sine suscipere baptismum, ut ad illum mere negative se indifferenter se habet, illi nec consentiens nec dissentiens. His præmissis

Dico primo: Quando adultus expresse repugnat & contradicit receptioni Baptismi, ille invalidus est. Conclusio est certa, & definita ab Innocentio III. in cap. *Majores* de Baptismo, probaturque ratione fundamentali: Cum enim baptismus sit quædam fidei professio, propter quod dicitur sacramentum fidei, sicut nullus repugnat & contradicens susceptioni fidei, recipit fidem, utpote que cum rationibus naturalibus non convincat intellectum sine voluntatis consensu, & obsequio, ac pia ejus motione, non recipitur, ita nec sacramentum Baptismi. Unde Divus Thomas quest. sequenti artic. 9. *Deus (inquit) non cogit hominem ad justitiam, sicut Damascenus dicit; & ideo ad hoc ut aliquis justificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplius suscipiat baptismum, & baptismi effectum.* Addit Soto, quod cum Deus omnia suaverit disponat, id maxime de fide & lege Evangelicę constituit, ut nemini nisi consentiens Christianus fiat, & Baptismi sacramentum suscipiat.

Dices: Baptizatus se habet sicut patiens in Sacramento: At intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis: Ergo ad recipiendum valide baptismum, nulla ex parte baptizandi requiritur intentio, subindeque baptismus erit validus, tamen ipse repugnet receptioni illius.

Respondet cum D. Thoma hic art. 7. ad 1. quod *in justificatione que fit in baptismo, non est passio coacta, sed voluntaria, & ideo requiritur intentio suscipiendi in quod datur.* Baptizatus enim non est quasi passum mere naturale, velut lupus dum incenditur, sed est passum rationale & liberum, & ideo requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed libere recipiendi, quia recipiendo se obligat ad ea que sunt vitę Christianę propria, & ideo modo humano, & libero debet suscipere & sibi imponere statum cui annexa est talis obligatio.

Dico secundo: Qui ex metu cadente in constantem virum permittit se baptizari, verum suscipit sacramentum. Ita D. Thomas in 4. dist. 6. quest. 1. art. 2. questio. 3. in fine corporis, ubi sic ait: *Sciendum quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesię confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis, ut dicitur 3. Ethic. cap. 2. & ideo si sit coactio suscipiens, ita quod principium sit ex toto extra nihil consentiente cum passu, ut cum aliquis rediens immergitur violenter, tunc talis nec sacramentum recipit, nec rem sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut minus vel singulis, ita quod baptizatur potius eligat baptismum suscipere, quam talia pati, tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti.* Idem determinavit Innocentius III. capite citato, approbans definitionem de hoc factam in Concilio Toletano IV. cap. 55.

Ratio etiam suffragatur: Licet enim qui terrore compellitur permittit se baptizari, nolit conditionaliter baptizari, nempe sub conditione quod possit vitare illa que metuit, vult tamen absolute baptizari: sicut qui metu temporis proficit merces in mare, vult absolute illas proferre quamvis secundum quod & sub conditione vellet illas retinere: Ergo verum suscipit sacramentum.

Nec obstat quod consensus ex gravi metu elicitus non sufficiat ad matrimonium, est enim disparitas in hoc, quod cum requiratur contractus validus ad sacramentum matrimonii, valor autem contractus subiacitur juri civili, postquam tali jure determinatum fuit, contractum ex metu in virum constantem cadente factum, non esse validum, sacramentum Matrimonii non habet quod requiritur ad sui valorem, videlicet contractum validum, si ex metu gravi aliquis contrahentium consensum dederit.

Dico tertio: Ad hoc ut aliquis valide sacramentum baptismi recipiat, sufficit intentio seu volitio interpretativa: nude si quis in vigilia existens, habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea, non mutata tali intentione dormiens baptizatur, vere baptizatus erit. Ita quod que determinavit Innocentius citatus. Et ratio est, quia ad valorem baptismi minor requiritur voluntas in suscipiente (utpote qui passiva solum ad ipsum concurrat) quam in conferente, qui sua intentione active sacramentum producit; subindeque licet minister qui habito proposito alium baptizandi, ipsum postea dormiens baptizaret, non conferret validum sacramentum, validum tamen susciperet, qui inter dormiendum baptizaretur, si prius in vigilia voluisset baptizari, eo quod talis voluntas, secundum prudentem interpretationem, influeret in illum receptionem. Unde D. Thomas hic art. 12. ad 3. docet quod dormientes, periculo mortis imminente, baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum.

Dico quarto: Ad valorem baptismi in adulto, non sufficit quod ad illum mere negative seu indifferenter se habeat, illi nec consentiens nec dissentiens, sed requiritur necessario positiva aliqua intentio illum suscipiendi, consentiens, vel præterita. Est contra Cajetanum hic art. 7. Martinum Ledesma, & quosdam alios recentiores Thomistas, existimantes intentionem in baptizato non esse per se necessariam, sed solum per acciens in adulto, ad tollendam contrariam voluntatem venientem sacramentum: unde si forte contingeret, ut homo neuter ad baptismum accederet, hoc est nec consentiens, nec dissentiens, sed negative se habens, ille vere reciperet sacramentum. Quam sententiam ut probabilem deinde Serra hic art. 7. dubio unico.

Probatur tamen conclusio, primo ex D. Augustino, dicente (ut refertur de consecrat. dist. 4. Can. *Cum a multis*) neminem renasci ex aqua & spiritu sancto, nisi volens: At ille qui ad baptismum vere negative se indifferenter se habet non est volens, ut patet: Ergo ex aqua & spiritu sancto non renascitur, subindeque validam sacramentum non suscipit.

Probatur secundo ex D. Thoma hic art. 7. ad 2. dicente, quod *si adulto desisset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.* Nec valet responso Cajetani dicentis hoc intelligendum esse de adulto cui desisset intentio suscipiendi sacramentum, per contrariam intentionem, non vero de eo cui desisset talis intentio, per statum neutrum, & indifferenter ad suscipiendum vel non suscipiendum baptismum. Non valet, inquam, hæc responso, seu interpretatio: Tum quia desisse intentionem non est habere contrariam intentionem, ut de se patet. Tum etiam, quia idem Sanctus Doctor hic art. 12. loquendo de amenibus & furiosis dicit, quod *si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sane mentis essent, non sunt baptizandi, quod falsum esset, si status neuter sufficeret.* Et ad 1. docet quod dormientes, periculo mortis imminente, baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut *de amonibus dictum est*; quod etiam falsum esset, si sufficeret quod illi non contradicerent, seu ad consensum vel dissentium negative & indifferenter se haberent.

Probatur tertio: Si absque intentione positiva, presentis, vel præterite, posset adultus valide baptizari, posset etiam cum intentione non suscipiendi sacramentum baptismi, ipsum valide suscipere: Consequens est falsum, ut patet ex dictis in prima conclusio. Ergo &c. Sequela probatur. An in quibus non requiritur voluntas, sive consensus, voluntas contraria nihil obstat, sed impertinenter omnino se habet: ut constat in venditione captivi, ad cujus valorem, sicut captivi ipsius consensus non requiritur, ita neque contraria ejus voluntas, illum impedit.

Probatur quarto: Non potest adultus contrahere obligationem ad novam religionem & fidem, nisi positive id velit: Sed in susceptione Baptismi valida, contrahitur obligatio ad novam religionem & fidem, adeo ut possit consequenter cogi ab Ecclesiã ad suam fidem servandam: Ergo nisi positive velit baptizari, non baptizatur valide.

Respondet Cajetanus, adultum qui nec assensiens neque dissentiens baptizaretur, non esse cogendum ad fidem Christianam servandam. Serra vero ait, posse dici non esse inconveniens, quod cogi possit ab Ecclesiã ad fidem servandam, quia licet ad hoc cogi non possit qui contrariam voluntatem habens baptizatur, bene tamen qui baptizatur, non habens contrariam voluntatem; et patet in his qui baptizati sunt in pueritia, qui licet tunc non haberint contrariam voluntatem, tamen cogi possunt ad servandam fidem, cum perveniunt ad adultam ætatem.

Sed contra responsum Cajetani est, quod valida Baptismi susceptione constituitur baptismum membrum & civem Reipublicę Christianę: absque fide autem, atque adeo obligatione ad eam, nullus potest esse de numero membrorum & civium talis Reipublicę. Contra responsum vero Serrę est, quod parvuli quando baptizati sunt, non poterunt habere voluntatem Baptismi, neque voluntatem Baptismo contrariam, ac proinde non est mirum quod independenter ab eorum voluntate baptizari poterint valide, & consequenter pervenientes ad ætatem adultam, possint cogi ad nostram fidem. At vero adultus quando baptizatur, vel saltem antequam baptizaretur, fuit capax proprię voluntatis circa baptismum vel suscipiendum vel respuendum, ac proinde debet valor ipsius Baptismi ab ea dependere, nec poterit cogi ab Ecclesiã ad suam fidem servandam, nisi positive baptizari voluerit. Quam differentiam insinuavit D. Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 24. his verbis: *Cum pro parvulis aliter respondens, ut impleatur ergo eis celebratio sacramenti, vult utique ad eorum consecrationem quia ipsi pro se respondere non possunt, de se pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cum legunt, naturaliter movet: statem habet, ipso pro se legatur.* Joann. 9.

ARTICULUS III

An licitum sit pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrii, inuitis parentibus baptizare?

§. I.

Quibusdam praemissis, referantur sententiae.

52 Contra istam conclusionem obicit primo Cajetanus Innocentius III. in cap. Majores super citato, sic concludit: Tunc ergo characterem sacramenti imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obsequium: Sed in homine cuius voluntas ad suscipiendum Baptismum est indifferens, contraria voluntatem non invenit: Ergo absque positivo consensu, sive intentione praesenti, & praeterita, potest illi character Baptismi imprimi, proindeque validus Baptismus conferri.

53 Respondeo sensum illorum verborum quae favere videntur Cajetano, ex praecedentibus colligi debere, praemissis enim Pontificis, dormientes & amenes, quando baptizantur, characterem suscipere, si prius habuissent propositum baptizandi, unde cum subdit verba praedicta, Tunc ergo characterem sacramentalem imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obsequium: nota illationem ergo, indicat sensum esse sacramentalem operationem imprimere characterem, cum non invenit obsequium obicem voluntatis contraria, ratione propositi praecedentis, quo virtualiter permanente, talis obex auferetur, idemque proinde est, ac si diceret, cum invenit obicem remotum per propositum recipiendi Baptismum, quod saltem in virtute remanet.

54 Obicit secundo: Quod non requiritur ad valorem sacramenti in uno, non requiritur in alio ad eandem valorem: Sed in parvalis intentione positiva recipiendi Baptismum non requiritur ad ejus valorem: Ergo neque in adultis.

Respondeo primo, negando Majorem: nam in his quae, ut sacramenta, a voluntate intentionis dependunt, ab uno in aliud non agitur efficaciter.

Secundo, distinguo Majorem: Quod non requiritur in uno incapax illius, non requiritur in alio similiter incapax: concedo. Non requiritur in alio ad hoc apto, nego. Licet autem infantes sint incapaces propriae intentionis, non tamen adulti.

55 Obicit tertio: Concilium Florentinum enumerans ea quae necessaria sunt ad perfectionem sacramenti dicit ipsam tribus periculis, materia, forma, & intentione ministrari, nullam faciendo mentionem de intentione suscipientis: Ergo illi ad valorem Baptismi non requiritur.

Respondeo ad hoc Concilium enumerando quae requiruntur ad perfectionem sacramenti, nullam de intentione suscipientis fecisse mentionem, primo quia non in omnibus sacramentis requiritur, nam ad consecrandum sacramentum Eucharistiae, non opus est suscipiente, neque ejus intentione: secundo, quia etiam in susceptione Baptismi, non requiritur intendere suscipientis, si sit parvulus, sed solum si sit adultus.

56 Quaerit, utrum ad hoc ut adultus per baptismum gratiam justificetur, ad illam debeat disponi per contritionem, vel caritatem, vel sufficiat sola austeritas? Respondeo, solum austeritatem sufficere. Ita expressit docet Sanctus Thomas in 4. dist. 6. quaest. 1. art. 3. ad 5. his verbis: Ad hoc ut homo se preparet ad gratiam in baptismo percipiendam, oportet ut habeat fidem, sed non caritatem, quia sufficit austeritas praecedens, vel non sic contritio. Ratio etiam id suadet, nam si ad baptismum semper requireretur in adultis actus contritionis, vel caritatis, ille nunquam eis conferretur primam gratiam, subindeque non esset sacramentum mortuorum, sed vivorum, & nunquam esset in adultis regeneratio, supponeret enim semper vitam gratiae, & regenerationem factam per actum contritionis, vel caritatis, qui per se & extra usum sacramenti habet vim justificandi, unde de contritione docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. & de caritate evidens est, quia illa cum peccato mortali incompatibilis est, alioquin homo simul haberet duos ultimos fines, nempe Deum per caritatem, quae est inclinatio & tendentia in Deum ut ultimum finem, & creaturam, in qua peccans mortaliter rationem ultimi finis constituit, ut in tractatu de peccatis ostendimus. Sed de hoc sensus in Tractatu de Sacramento Penitentiae, quando de dispositionibus ad illud requisitis agemus, cum enim Baptismus & Penitentia sint sacramenta mortuorum, eadem est utriusque ratio quantum ad hoc, ut omnes fatentur.

57 Nec obest quod Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositiones quibus peccatores paulatim disponantur ad justificationem per baptismum recipiendam, recenset amorem quo Deum tanquam omnium iustitiam fontem diligere incipiunt. Ibi enim non loquitur Concilium de amore caritatis, tendente in Deum summe diligendam, ratione sua bonitatis absolute spectata, sed de amore spei seu concupiscentiae, quo peccatores Deum ut sibi bonum & placibilem diligere incipiunt, ut ex ipso textu liquet, in quo sic habetur: Peccatores se esse intelligentes, a divina iustitia timore non cessare concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertunt, in seipsum eriguntur sciunt Deum sibi propter Christum propitium fore, illi tunc tanquam omnium iustitiam fontem diligere incipiunt. Hinc alius horum verborum interpretatio videtur in Manuali Thomistarum, Tract. de Penitentia cap. 4. §. 4.

§. II.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

61 Dico primo: Non licet, publica etiam auctoritate Principis vel Communitatis, baptizare, inuitis parentibus, pueros infidelium, qui politice tantum & civiliter subditi Ecclesiae, seu Principibus Christianis. Ita D. Thomas hic artic. 10.

62 Probatur primo: nunc enim & olim Christiani Principes, atque ipsi Summi Pontifices, quibus Judaei multi iam a pluribus saeculis subditi fuerunt, tale quid nunquam attentarunt: quod tamen non praetermississent Principes multi & Pontifices sanctissimi si id licitum existimassent. Praeterea quia cum res ita sit gravissima, & in maximam cedat commoditatem parvuli, si esset licita, ad eam teneretur Ecclesia ex caritate, sicut tenetur ad rem confessionem hominis morti proximi, quando postulat eam audire.

63 Probatur secundo: Si pueri infidelium qui politice tantum & civiliter Principibus Christianis subditi sunt, inuitis parentibus baptizarentur, vel consequenter eripienda essent a potestate & cura parentum, ut inter fideles educarentur, vel apud ipsos relinquerentur? Sed neutrum licet: Ergo nec eos inuitis parentibus, sive privata, sive publica auctoritate baptizare. Major constat, Minor vero probatur: quia prius continet manifestam injuriam, et enim spoliate parentes jure naturae quod habent in filios, qui sunt aliquid ipsorum, & in quos potestatem habent, quantum rationis usum sunt destituti, non minus quam in boves & agnos quos possident, non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Posterius vero includit apertum fidei & profanationis Baptismi periculum, quandoquidem valde periculosa esset, ne parentes infideles illorum puerorum eos contrariis ritibus coinquinarent, & Baptismo renunciare cogent, ubi primo ad adultam pervenissent aetatem: Ergo &c.

64 Confirmatur primo: Jurisdictionis civilis non tollit subditi dominium reale aut quasi reale quod singuli habent in res suas, in liberos, domos, & agros: Ergo non potest Ecclesia absque injuria infantes illorum infidelium, ab ipsis parentibus injuria separare, & baptizare.

65 Confirmatur secundo: Vel potestatis baptizandi illos parvulos, inuitis parentibus, non potest Principes Christianos, ex ipsa natura politica auctoritatis quam habent in sibi subditos civiliter, vel ex specialis Christi concessionem? Non secundum, utpote quod non potest colligi neque ex Scriptura, neque ex traditione. Nec primum, quia auctoritas civilis dominorum temporalium, dimans ab hominibus, non se extendit ad supernaturalia, inter quae continetur Baptismus, sed intra bonum commune naturale pacis, ac republicae commedum temporale sinit: Ergo &c.

66 Secundus casus est, quando pueri aliqui infidelium, sive per fas, sive per nefas, a parentum custodia & praesentia in tantum sunt abstracti, ut nulla spes reditus illorum ad ipsos moraliter superstit, sicut plerisque accidit quos mercatores ex remotissimis regionibus transtulerunt, tunc eos confuevit Ecclesia baptizare: licet enim in illo casu baptizentur, nulla sit eorum parentibus injuria, quia quoad ipsos velut mortui supponantur, sed ex facta sortita alias, boni illorum infantium captus occasio.

67 Tertius casus est, cum pueri infidelium praevideatur statim absque ulla spe vite moriturus: tunc enim si baptizari possit occulte, aut sine magno parentum tumultu, unde timeatur gravis scandala, baptizandus est: quia in eo casu neque fit injuria parentibus, quandoquidem eis non eripitur infans per Baptismum, sed per mortem, cum nulla (ut suppono) sit spes vite longioris ipsius, neque intans ille periculo apostasiae exponitur.

68 Dico secundo: filios servorum seu mancipiorum infidelium, inuitis parentibus, baptizare licet. Ita docent communiter Thomista, Cajetanus, Soto, Ledesma, Nuno, Cabrera, Candidus, & alii, quos citat & sequitur Martinez a Prado hic dubio 7. §. 6.

69 Probatur primo ex D. Thoma hic artic. 10. ad 2. ubi ait filios Judaeorum, non obstante servitute parentum, non posse illis inuitis licite baptizari, quia eorum servitus est tantum civilis: Ergo supponit quod si eodem essent servi servitute mancipiorum & captivorum, possent licite eorum filii ipsi inuitis baptizari.

69 Probatur secundo ratione: Servi seu mancipia subditi dominio reali, una cum filiis, ita ut possit dominus pro suo libito, vel apud se retinere, vel alius vendere, vel etiam a se invicem separare, retinendo filios, & distrahendo parentes, vel e contra: facta autem illa separatione, cessat periculum apostasiae respectu parvulorum, cessat etiam injuria, ratione domini: Ergo filios servorum seu mancipiorum infidelium, inuitis parentibus baptizare licet.

70 Confirmatur: Quamvis parentes jure naturali sint liberi, tamen jure gentium privantur libertate: Ergo similiter licet jure naturali habeant potestatem supra parvulos suos, jure tamen gentium ea privantur: Ergo potest dominus filium sui mancipii, per venditionem, aut donationem, a parentibus separare, eo sine ut baptizetur: si enim ob quemcumque finem honestum, vel pro sola utilitate sua id potest, cur etiam id non poterit propter Baptismum tali parvulo conferendum.

71 Neque vero tantum potest dominus, sed etiam tenetur, per se loquendo, sua hujusmodi mancipia, sive dominata, sive bello justo capta, sive empti, baptizare in infantia & Christiane educare, quia parentes Christiani hoc debent suis liberis; dominus autem succedit in jus & curam parentum. Et confirmatur ex illo Apostolico 1. ad Timoth. 5. Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & infidelis deterior est. Dixi per se, quia ratione circumstantiarum potest excusari, ut si id nequit sine magnis incommodis aut difficultatibus; cum enim illi non sint in extrema necessitate salutis, non tenetur eis ita subvenire, atque cum pari obligatione in jus & curam parentum succedit. Hinc exculantur milites; qui filios infidelium redimi solent, qui non possunt eos alere sine magnis difficultatibus & incommodis.

§. III.

Solentur objectiones.

72 Obicit primo contra primam conclusionem: Mathathias lib. 1. Machab. cap. 2. capto Antiocho iustitiam circumcidi omnes infantes qui erant in finibus Israel, inter quos erant plurimi filii alienigenarum: Ergo cum baptismus succederet circumcisioni, pariter licet Principibus Catholicis, inuitis parentibus qui eis civiliter & politice subditi, eorum filios baptizare.

73 Respondeo, aut illud praecipuum Mathathiae de circumcidendis pueris, non esse generaliter intelligendum, sed quoad pertinebat ipsum praecipuum circumcisionis a Deo traditum; id autem erat, ut soli Judaei circumciderent, & servi emptitii, & ex alienigenis, quicumque vellet comedere phase: aut non esse probandum & imitandum factum Mathathiae, quia jus naturale repugnat.

74 Obicit secundo: Potest, immo debet praecipuum superioris servari, non obstante voluntate contraria inferioris: Sed hoc quod est pueros baptizare, est praecipuum Dei, hoc vero quod est parentem infidelem non consentire tali Baptismo, est voluntas inferioris Deo: Ergo non obstante tali voluntate in infidelibus, possunt eorum infantes licite baptizari.

75 Confirmatur, & magis illustratur haec ratio: Quando plurium dominorum invicem subordinatorum voluntates contrariae sunt, voluntati supremi obtemperare debet, tamen repugnet voluntati inferiori, ut docet Angelinus lib. 2. de natura boni, dicens: Si illud iubeat potestas quod non debet facere; hic sane contemne potestatem, tamen praesentem majorem: Sed dominium parentum in filios est inferioris, & subordinatum supremo Dei dominio: Ergo cum Deus jubeat ut omnes baptizentur, debent pueri infidelium, inuitis etiam ipsorum parentibus, baptizari.

76 Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Debet praecipuum superioris servari, non obstante voluntate contraria inferioris, si superior velit ut sum praecipuum observetur, non obstante voluntate & quocumque jure inferioris, concedo Majorem. Si superior velit ut praecipuum a se impositum servetur sine violatione juris inferioris, nego. Ita autem contingit in proposito: Deus enim praecipit, ut omnes etiam parvuli baptizentur, vale hoc praecipuum observari, sine violatione juris naturalis quod pater habet in prolem, quia gratia non destruit, sed perficit naturam.

77 Similiter ad confirmationem distinguo Majorem: quando plurium dominorum invicem subordinatorum voluntates contrariae sunt, voluntati supremi obtemperare oportet, licet repugnet voluntati inferiori, si supremus jubeat obedire sibi, etiam repugnante inferiori contra violationem juris naturae in sua persona, concedo Majorem. Si instituat ita sibi obediendum, ut nihil contra jus naturae, & oppositionem inferioris agatur, nego Majorem. Licet autem Deus qui juris tam naturae quam gratiae auctor est, statuere poterit, ut ad jus gratiae servandum ac magis obediendum tanquam superius naturae jus sit opus esse violaretur, hoc tamen noluit; immo potius, cum disponat omnia

omnia stavit, & gratia non destruat, sed perficiat naturam, voluit ut per ea que spectant ad fidem, & ad ordinem gratie pertinent, nulla in jus nature fieret irruptio. Hinc Christus conferens Ecclesie potestatem predicandi Evangelium ubique Gentium, non ei auctoritatem dedit, qua minis, armis, & vi, ad Baptisma suscipiendum infideles cogere; neque misit Apostolos ut milites armatos, cum seculari potentia, sed imopes absque armis, & virga, qui suasionibus, mansuetudine, beneficiis, miraculis, & exemplis homines allicerent, & ad Christum Redemptorem ducerent, ut docuit Concilium Toletanum IV. Et hoc quidem rationabiliter: Primo quia cum ad fidem internam nemo cogi possit, lex Evangelica que non nisi per fidem corde suscipitur, vi, injuria, metu, alisque ejusmodi violentiis non propagaretur. Secundo, quia cum intentio Christi esset persuadere universo ceteri fidem, non qualemcumque, sed eam que per solam dilectionem operatur: caritati autem sive dilectioni, nihil magis sit adversum, quam vis, injuria, & metus, congruum fuit ut ad eam nemo ejusmodi violentiis cogereetur. Tertio, ne fides que naturalis rationis vires excedit, per violentiam Gentibus predicata, exola fieret, & quasi tyrannicis exillimaretur, ac diaboli figmentum rationi repugnans. Quarto, ut hac excellentia lex nostra, cum Mahumeti perfidia comparata responderet; illa enim tamquam qua nulla ratione persuaderi poterat, vi & armis in mundum contrusa est: nostra vero fides per homines inermes, & mites, sola veritatis vi ac energia, mundum vicit, & Philosophos ac Imperatores debellavit. Unde egregie Chrysostomus serm. 3. Pentecostes: *Peragravit piscatoribus orbem terrarum, & infirmum cum invenientes, ad sanitatem reducere; & in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt; non sicut moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed regnum celorum possidentes, non habentes humanam solacia, habentes autem Dominum secum. Peragravit universum orbem vires simul cum lapsis, & vulnerata a bestibus non sunt oves, sed magis lupi ad ovium manufacturam sunt conversi.*

76 Obijcies tertio: Licet parentes infideles habeant dominium in suos filios, potest tamen princeps subditos, subiectione etiam duntaxat civili, privare tali dominio quando ea abutuntur: Sed infideles nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominio quod habent in ipsos, contra honorem Dei, & parvulorum salutem: Ergo poterunt privari tali jure, & consequenter eorum infantes licite baptizari.

77 Confirmatur primo: Si parens vellet interficere filium, posset infans jure, non obstante jure nature quod habet in eum, vi eripi: Ergo multo magis si nolit eum baptizari: salus enim anima prevaleri debet vite corporis.

78 Confirmatur secundo: Potestas defendendi innocentes, jure nature competit Principi, immo & cuilibet particulari: Sed pueri sunt innocentes, & patiuntur maximum damnum, si non baptizentur: Ergo jure nature licitum est Principi eos baptizare, & si opus fuerit, de potestate parentum eripere.

79 Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Potest princeps privare subditos dominio quod habet in filios quando illo abutuntur contra jus nature, vel civile, concedo. Quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, qualis est qua obligat ad baptismum si sint infideles, nego. Cum enim potestas civilis sit mere naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest extra jus nature se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, sed hoc pertinet ad aliam potestatem superiorem, qua est immediate a Deo, nimirum ad potestatem jurisdictionis spiritualis, primo & per se & cum tota plenitudine residentis in Summo Pontifice, cui enim infideles non baptizati non subdantur, consequens est eos a nullo Principe posse privari jure & dominio naturali quod habent supra filios, quando eo contra legem supernaturalem, & parvulorum salutem abutuntur. Ex quo facile solvitur prima confirmatio, & intelligitur ratio quare si contingeret quod pater infidelis vellet occidere filium, posset privari jure quod habet supra illum, & ab ejus potestate eripi, & tamen non possit tali jure privari, ex eo quod non vult permittere ut baptizetur: volendo enim eum occidere, peccat contra jus nature, cujus cura per se pertinet ad Principem temporalem; at vero ex eo quod nolit permittere ut baptizetur, peccat contra jus supernaturale ad cujus defensionem potestas secularium non se extendit. Unde

80 Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus que jure nature sunt ipsis debite, convenit Principi, immo & cuilibet particulari, jure nature, concedo Majorem. Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus supernaturalibus, nego Majorem. Damnum in rebus supernaturales non est contra justitiam naturalem, neque contra finem politicum, proindeque vindicari non potest ab eo qui solum habet potestatem politicam. Similiter disti-

guo secundam partem Minoris: Pueri, si non baptizentur, patiuntur maximum damnum in rebus naturalibus, nego Minorem: in rebus supernaturalibus, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Obijcies quarto contra secundam conclusionem: Dominum quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad supernaturalem: Sed baptizare parvulum est aliquid pertinens ad ordinem supernaturalem: Ergo dominium quod quis habet in captivum, vel mancipium non dat illi jus baptizandi ejus filios, ipso invito & renuente.

Respondeo, hoc argumentum solum probare dominium quod quis habet in captivum non importare immediate & per se auctoritatem ad baptizandum ejus filios, ipso invito, sed tantum quasi per accidens & secundario: licet enim illud jus gentium quod captivi mancipantur, per se & indirecte ad supernaturalem non pertingat: indirecte tamen & quasi per accidens ad ea se extendit, dando facultatem separandi per donationem aut venditionem filios a parentibus, eo sine ut baptizetur.

Dices: Per donationem aut venditionem non auferitur a patre servo jus paternum: Ergo fit injuria patrie potestati, cum ipso invito filii ejus baptizantur.

Respondeo quod jus radicale non auferitur a patre per venditionem aut donationem, sed auferitur jus proximum & expeditum & si aliquo fine temporali licite potest hoc jus impedire, multo magis sine spirituali & supernaturali, cui temporalia & transitoria subvenire debent.

DISPUTATIO IV.

De Effectibus Baptismi.

Ad questionem 69. Divi Thomae.

Considerata causa Baptismi effectiva, & subjecliva, consequens est ut de variis ejus effectibus differamus, & que docet S. Thomas quest. 69. breviter exponamus.

ARTICULUS I.

Quinam sint effectus Baptismi?

Divus Chrysostomus in homilia de baptizatis (ut refert D. Augustinus lib. 1. contra Julian. c. 5.) numerat decem effectus iniquos baptismi. Primus est remittere peccata omnia preterita. Secundus, ut adoptet nos in filios Dei. Tertius, ut sanctificet nos. Quartus, ut efficiat nos iustos coram Deo. Quintus, ut faciat nos heredes regni celorum. Sextus, ut faciat fratres Christi esse. Septimus, ut faciat nos confortes ejusdem nature, & coheredes. Octavus, ut faciat nos esse membra Christi & Ecclesie. Nonus, ut vocemur templum Spiritus sancti. Decimus, ut simus organa, quibus Spiritus sanctus operatur. Ut hi & similes effectus explicentur.

Dico primo, omnia peccata tolli per Baptismum. Conclusio est certa de fide, ac definita in Florentino in Decreto unionis, ubi de Baptismo dicitur: *Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis & actualis.* Id etiam aperte tradunt SS. Patres: Augustinus enim lib. 3. de symbolo cap. 10. hac habet: *Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quarit merita; praevenit gratia etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum liberati, qui a diabolo in Adam tenebantur ante captivi.* Et lib. 1. de peccatorum meritis cap. 15. hac scribit: *Converante carne tantummodo trahitur peccatum originale, regenerante autem spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntarium se remissio peccatorum.* Similia habet Cyprianus, vel Auctor sermonis de ablutione pedum, ubi de Baptismo ait: *De abluo & secretissimo Spiritus sancti munere, hujus gratia liquor emundat, sic lavans quos parentalis labor infecerat, ut neque actualis nec originalis culpa vestigia relinquatur.*

Idem docet S. Thomas hic artic. 1. ubi nostram conclusionem probat in argumento sed contra, ex illo Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quem locum S. Hieronymus ibi, & D. Cyprianus lib. 4. Epist. 7. & S. Athanasius Epistola ad Serapionem, Theodoretus, & alii, de aqua Baptismi exponunt.

In corpore vero articuli sic discurrit: Per Baptismum moritur homo vetustate peccati, & incipit vivere vita gratie, ut docet Apostolus ad Rom. 6. Sed omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: Ergo per Baptismum tollitur omne peccatum. Hinc SS. Patres, & Scripturae Interpretes, docent transiitum filiorum Israel per mare rubrum quandam fuisse Baptismi figuram: nam sicut in mari rubro hostes a tergo filios Israel persequentes, submersi sunt in aquis maris: ita in aquis Baptismi suffocantur & dimittuntur omnia peccata ante Baptismum commissa. Unde

Unde Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 28. *Naves & mare Rubrum, Baptismus utique est, Christi sanguine consecutus, hostes sequentes a tergo moriuntur, cum peccata praeterita remittuntur.* Addit Bernardus Serm. 39. in Cantica, eandem figuram magis explicans: *Ibi populus exiit de Aegypto, hic homo de saeculo: Ibi profertur Pharaon, hic diabolus: Ibi subvertuntur curus Pharaonis, hic carnalis & saecularis desideria, qua militans adversus animam, subvertunt: Ibi in fluitibus: Ibi in fluitibus: marini illi, amari isti.*

Dico secundo: Per Baptismum liberatur homo ab omni reatu poenae, quae pro culpa debetur; per illum tamen poenae libertas vitae praesentis non auferuntur.

Prima pars hujus conclusionis est de fide, definita in Florentino supra citato; ait enim quod *hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis & actualis: omnis quoque poena quae pro ipsa culpa debetur.* Et Tridentinum sessione 6. cap. 4. constituit discrimen inter Baptismum & Poenitentiam, quod in ista, dimissa culpa, remanet satisfactio pro poena temporali, quae ut sacra litterae docent, non ita semper (ut in Baptismo fit) dimittitur illi.

Eadem veritas patet ex perpetuo Ecclesiae usu & consuetudine, baptizatis enim nulla unquam imposita sunt opera satisfactoria, sicut fit in sacramento Poenitentiae. Unde Ambrosius ad Romanos 11. *Gratia Dei in Baptismo gratie omnia condonat, & non quarit genitum aut plantum, aut opus aliquod, nisi solum ex corde professionem, &c.*

Ratio vero primaria hujus est voluntas Dei & institutio Christi, qui tantam voluit conferre virtutem Baptismo, ut omnem culpam & poenam auferret, quod colligitur ex eo quod instituit hoc sacramentum per modum generationis spiritualis, atque adeo sicut in generatione corporali (juxta d. Thomae sententiam) fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem spirituales pertinet, debet remanere in homine per Baptismum regenerato, vires quoad poenam. Unde Chrysostomus homil. 24. in Joann. *In aqua Baptismi tanquam in sepulchro corpus immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde, novus resurgit.*

Secunda pars quae asserit poenitentiam hujus vita non auferri per Baptismum, non minus est certa quam procedens, experientia enim constat in baptizatis remanere concupiscentiam, & fontem peccati, eosque esse obnoxios fami, siti, morbis, & morti: licet enim Baptismus, quantum est de se, has vires hujus poenitentiae auferendi virtutem habeat, convenienter tamen fuit, ut eas non tollerent ante resurrectionem. Primo, quia cum per Baptismum homo fiat membrum Christi debet ipse assimilari: Christus autem utique ad resurrectionem, passus est famem, labores, dolores, mortem, & similes poenitentiae. Secundo, ut major esset corona, ex majori pugna victoria. Unde Augustinus libro de peccatorum meritis cap. 21. *Per baptismum (inquit) id agitur, ut evocetur caro peccati: evocatur autem, non ut concupiscentia immata repente absumatur, & non sit, sed non obest venato, quo inerat nato. Nam si post baptismum viveret, atque ad statum capax peccati perveniret, ibi haberet eum qui pugnet eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit.* Tertio, ne homines potius suscipiant Baptismum, propter impassibilitatem temporalem, quam propter gloriam aeternam. Ita D. Thomas hic art. 3. in corpore.

Dico tertio: Per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Ita S. Doctor art. 4. & 6. & definitur in Clementina 1. de summa Trinitate, colligiturque ex Tridentino sess. 3. cap. 5. ubi generaliter dicitur, baptizatis conferri gratiam, & consequenter virtutes ab ea dimanantes.

Ratio etiam illi suadet. Primo quia Baptismus est institutus ad tollendum peccatum originale, & actuale, si adicit: Sed hoc non remittitur sine infusione gratiae: Ergo per baptismum conferuntur gratia. Secundo, Baptizati Christo incorporantur, tamquam ejus membra: Sed a Christo capite derivatur plenitudo gratiae & virtutis ad omnia ejus membra, juxta illud Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus:* Ergo per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Tertio, Baptismus efficit quod significat. Sed sicut aqua per suam ablationem significat emundationem a culpa, & per refrigerium, liberationem a poena: ita & per naturalem caritatem significat splendorem gratiae & virtutum: Ergo in Baptismo gratia & virtutes inveniuntur.

Hac ratione probatur, non solum adultis, sed etiam parvulis, gratiam & virtutes per Baptismum conferri. Unde Cyprianus Epist. 59. *Una est divini muneri equalitas apud omnes: sicut infantes sic majores nasci: non gratia que baptizatis datur, non pro aetate accipiuntur major vel minor tribuitur, sed de pietate atque indulgentia paterna, aequalis omnibus praebetur; nam Deus in personam non accipit; sic neque aetatem, non se omnibus ad celestis gratiae consecrationem, aqua lavans liberos, praebet poenam.*

Dico quarto: Baptismo convenienter attribuantur tres actus, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, & secundatio.

Theol. Gonet, Tom. V.

Probatr breviter: Per Baptismum homo fit membrum Christi, & ipse incorporatur; & cum sit sacramentum fidei, per illum spiritualiter illuminatur. Item per gratiam & virtutum infusionem, honorum operum fecunditate donatur: Ergo illi convenienter attribuantur tres actus praedicti, nimirum incorporatio ad Christum, illuminatio, & secundatio. Ita S. Doctor art. 5.

Dico quinto: Aperiuntur januae caelestis est effectus Baptismi. Est etiam D. Th. art. 5. ubi illam probat in argumento sed contra, ex illo Lucae 3. *Jesus baptizans aperit januas caelestis.* Quae verba Venerabilis Beda expendens, subdit: *Virtus hinc Baptismi ostenditur de quo quisque cum egreditur, regni caelestis ei janua aperitur.* In corpore vero articuli sic discurrit: Aperiuntur januae regni caelestis est amovere impedimentum quod quis impeditur regnum caeleste introire: Sed tale impedimentum nimirum culpa & reatus poenae, per Baptismum tollitur, ut ex supra dictis patet: Ergo per illum janua regni caelestis aperitur. Quod autem ante passionem Christi Baptismus hunc effectum non haberet, id erat per accidens, quia tunc non habebat suam significationem perfectam, quam significat mortem & sepulcrum Christi, cui in Baptismo commorimur, ut docet Apostolus ad Roman. 6. nec erat tunc in suo statu veluti connaturali, quia nondum erat perfecta & consummata novae legis institutio.

Prater hos effectus Baptismi, alii duo assignari possunt, nimirum character, de quo fuit Tractatu praecedenti disp. 5. & jus ad auxilia specialia, sibi suo proportionata, nempe ad sancte & Christiane vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Christifide fratres, & regni caelestis heredes: juxta illud D. Leonis serm. 1. de Nativitate: *Agnosce homo dignitatem tuam, & divina consorti saltus natura, noli in veterem utilitatem degeneri conversatione redire.*

Porro admiratione & observatione dignissimum est tot & tam mirabiles effectus virtutem divinam in sacramento baptismi producere, paucis aque guttis, & non nullis verbis ab homine prolatis, quod licet fidem non superet, omnem tamen profecto rapit admirationem. Unde praeclear Tertullianus libro de baptismo dixit: *Qualis decet esse opera Domini nisi super omnem admirationem & mirandum fano quod sine pompa, sine apparatu, sine sumptu in aqua admittitur, inter paucas verba rictus, inde exitus innocens. Ne mireris propterea haec simplicia quasi vana, haec magnifica, quasi impossibilia, quia alius aequa Deo proprietate suas, simplicitatem & puritatem.*

Alios effectus falso baptismati tribuunt haeretici, nempe quod baptizatus non possit damnari, etiam si velit, nisi nolit credere. Quod Baptismus liberet ab obedientia divinae legis, itaque ab humanarum legum observatione, & ab omnibus votis. Quod denique sola memoria Baptismi justificet a peccatis post Baptismum commissis. Qui omnes errores damnantur a Tridentino sess. 6. can. 6. 7. 9. & 10. de Baptismo, ac fute refutantur a Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 14. & sequentibus.

ARTICULUS II.

An Baptismus sine suscepiendo, recedente filio, ex opere operato producat suam effectum?

§. I.

Quibusdam promissa difficultas resolvitur.

Suppono primo, fictionem posse esse duplicem: Prima est, quando quis exterius simulat se velle Baptismum recipere, nullam tamen interius intentionem habet illud recipiendi, & de hac fictione hic non loquimur, certum enim est, illam necdum effectum, sed etiam valorem sacramenti tollere. Secunda est, quando quis habet quidem intentionem recipiendi sacramentum, & simulat se cum fidei debita dispositione ad illud accedere, revera tamen non credit, vel non est dispositus ad recipiendum effectum sacramenti, vel quia habet complacentiam in aliquo peccato mortali, vel quia accedit ad Baptismum sine sufficienti dispositione ad gratiam consequendam, existimans se esse sufficienter dispositum, puta si habeat attritionem solum naturalem quam bona fide existimat esse supernaturalem, & de hoc genere fictionis agimus in praesenti, non vero de altero.

Suppono secundo, fictionem hoc modo sumptam, licet cet valorem Baptismi non tollat, impedire tamen precipuum ejus effectum scilicet gratiam, & remissionem peccatorum, quia complacentia in peccato praeterito opponitur infusioni gratiae, & ad eam recipiendam homo per actum supernaturalem disponi debet.

His praemissis, quarimus, an dum quis Baptismum fide suscipit, & postea permittit de fictione, eamque per actum contritionis, vel saltem attritionis supernaturalis tollit, Baptismus fide susceptus, gratiam per fictionem impeditam, ex opere operato producat?

Partem negativam tenent Scotus in 4. dist. 4. quest. 5. 14 Gabriel ibidem quest. 1. art. 3. dubio 2. Joannes Andreas in cap.